



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lingva Avrea Christianorvm

Ruben, Leonhard

Padibornae, 1606

Capvt 15. Loquacium lingua stultitiæ indicium, & subuersio hominis, & ciuitatum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56433)

CAPVT XV.

Loquaciam lingua stultitiæ indicium, &
subuersio hominis & ciuitatum.

Stulti-
tie in-
diciū.

AD primū quod spectat, re-
tè dicitur Eccli. 5. 1. Ne te-
merè quid loquaris, neq̄ cor tuum sit
velox ad proferendum sermonem co-
ram Deo. Idcirco sint pauci sermones
tui. Multas curas sequuntur somnia
& in multis sermonibus inuenitur stulti-
tia. Nam Prou. 29. 11. Totum spi-
ritum suum profert stultus: sapiens
differt & reseruat in posterum. Hoc
verissimum esse, docet Salomō
Prouerb. 15. 2. vbi linguam sapien-
tum, & os stultorum quasi penicil-
lo depingens, inquit. *Lingua sapien-
tum ornat scientiam: os fatuorum e-
bullit stultitiam.* Est enim cor illo-
rum, velut olla plena aqua immun-
da, quæ vbi flamma Dæmonis, de
qua egimus capite 9. succenditur,
se continere nequit, quin ebulliat.
Cū verò fuerit hac flamma ho-

mo garrulus succensus, bene de illo dicitur id, Eccles. 10. 14. *Stultus verba multiplicat.* Et Prou. 29. 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio,* Et cap. 10. 14. *Sapientes abscondunt scientiam; os autem stulti confusio proximum est.* Et Eccles. 10. 12. *Labia insipientis, precipitabunt eum.* Prou. verò 18. 13. *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Cauendum verò hîc est, quod monet Salomon, Prou. 26. 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*

Alterum est, subuersio hominum, de qua Eccli. 5. 15. *Honor & gloria in sermone sensari, lingua verò imprudentis subuersio est ipsius.* Et Prouer. 11. 11. *Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas; & ore impiorum subuertetur,* Vnde & auditorum subuersionem ex contetione ver-

Sub
uersio
homi
num.

borum prouenientem. D. Paulus interdicit Timotheo, 2. Tim. 2. 14. dicens. *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audientium.* Rectè ergò Menander dixit. Lingua multorum est causa malorum. Et idem lingua multos ad perniciem pertraxit. Vide etiam quæ diximus suprà capit. 6. num. 1. & cap. 9. num. 2.

CAPVT XVI.

Loquaces sunt homines terreni, vanæ conscientie, & vascula inania.

*Loquaces
terreni
sunt*

PRimum patet, quia nihil nisi terrena loquuntur, idq; secundum D. Ioannis Baptistæ sententiam, qua inquit ad discipulos suos, Ioan. 3. 31. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur.* Ergò non loquitur sapientiam cœlestem, sed Iacob. 3. 15. terrenam, animale, diabolicam: ait enim, *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris: nolite gloria-*